Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2135
Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 90. *Incipit excerptum ex tractatu magistri theoderici de monasterio sacre Theologie professoris misso venerabilibus sororibus conuentus sancti egidij monasterien. ordinis sancti benedicti.* Capitibus XIII. agitur de Paupertate religiosa et vitio Proprietatis, suadeturque C. 11. Virginibus his, ut modum *Carthusianorum* circa possessiones suas adoptent. Initium: *Modus, quem tenetis est iste quod quelibet ex vobis cui placet de licencia abbatisse tollit redditus annuos qui occasione sui proueniunt monasterio, et expendit seu consumit illos redditus, pro sua personali vtilitate et pro suo commodo, et dat etiam si vult de illis aliquas elemosinas vel alias conuertit in pios vsus* &c. Finis: *vestigia vix apparent, nouerit oportunum. Compilatum anno domini 1412. ipso die beati Iheronimi — per me Theodericum de monasterio* &c. Non est confundendus Vir hic cum juniore Ὁμωνυμῳ O. M. qui diem obiit 1515. Pro nostro jam 1425. piaculare Sacrum ab Universitate Studiorum *Colon.* factum fuisse testatur *Harzhemius Bibl. Colon. p. 303.* Scripta ejus enumerat *Fabricius* in *B. M. Lat.*

VI. *fol.* 98. *Ex tractatu magistri nicolai gaur de tribus substantialibus ordinis.* Paupertate scil. Castitate et Obedientia, de quorum primo tantum in his *Excerptis* agitur, hoc initio: *Dominus Innocentius papa dicit, quod abbas non potest concedere monacho quod habeat aliquam administrationem aliquarum possessionum* &c. Ad calcem: *De hoc satis ex tractatu magistri nicolai*, et continuo: *Ex epistola ad abbatem in camp. — Ad abbatissam in Hompe prope dauentriam de ordine sancti bernardi.* — Aliud Fragmentum, quod incipit: *Predilecti mei in christo. qui habent specialia bona* &c. *Item eiusdem ex alia epistola. — Ex alia ad abbatem in Camp. — Item ex alia epistola. — Ex alia epistola eiusdem.* — Denique ad calcem: *Completum est operis presentis scriptura in festo beati Ciriaci martiris hora vesperorum per ma* — —. Itaque haec omnia ejusdem de Paupertate religiosa argumenti ad eundem *Nicolaum Gauer* referenda censeo, cujus *Sermones Cod.* DCCLXVI. indicavi jam ibi altum de eo Scriptorum silentium miratus, nisi forte sub *Nicolao de Susato*, vel *de Creuczenach* lateat, ut tum suspicabar. Opus ejus *de Tribus Substantialibus* Bibliotheca *Aug.* servat, ut videbis, sed qui ejus notitiam *Tigurinis* dederat, lapsus est in nomine; in *Bibl.* enim *Gesneri* Nicolaum *Baur* pro *Gaur* habes. Virum cetera doctum et late notum ex praesentibus *Excerptis* discere licet.

VII. *fol.* 107. p. 2. *Tractatus de ecclesiastica potestate domini* (Petri de Alliaco Card.) *Cameracen.* seu, ut plenius in *Opp. Gersonis* T. II. P. 1. *col.* 925. *de Ecclesiæ, Concilii Generalis, Romani Pontificis et Cardinalium Autoritate*, ubi scriptus dicitur in